



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quis sit iudex conservator, à quo dari possit, & quinam esse possint conservatores?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quàm literæ delegationis delegato sint præsentatæ, ita nec revocatio vim aliquam habet prius, quàm literæ revocationis delegato fuerint præsentatæ. Delegatus tamen si totam causam sibi commissam subdelegavit, ita ut nihil in ea jurisdictionis sibi reservaverit, potest quidem re nondum à subdelegato cœpta, eam revocare, cum nondum sit efficaciter, antequam res agi cœpta sit, in subdelegatum translata jurisdictione, non potest tamen ob contrariam rationem eam revocare, si à subdelegato jam cœpta sit, per citationem v.g. uti habetur in c. quamvis 6. h. t. in 6.

## S E C T I O VIII.

## De Iudicibus Conservatoribus.

## §. I.

*Quis sit iudex Conservator, à quo dari possit, & quinam esse possint Conservatores?*

**C**onservator de jure communi est iudex delegatus, deputatus ad defendendum aliquos à manifestis injuriis, seu violentiis, seu quocunque damno injusto &c. absque judiciali causæ cognitione; prout constat ex c. 1. h. t. in 6. dari solent taliter Conservatores nonnunquam ad defendendum contra larones & prædones, nonnunquam contra eos, qui privilegia quibusdam concessa violant; nonnunquam contra injurias & offensas manifestas, ut contra eas defendant: sicuti autem dari possunt à solo Pontifice summo, uti colligitur ex c. 1. & c. ul-

timo h. t. in 6. ita alii deputari Conservatores non possunt, nisi Episcopi, aut his superiores, vel Abbates, vel qui Dignitatem aut Personatum in Ecclesia Cathedrali aut Collegiata obtinent, juxta citatum c. ultimum, ubi plura videri possunt, circa Conservatores etiam religiosorum per privilegia specialia sæpius deputandorum, quæ privilegia hæc in re attendi & conservari debent.

## §. II.

*Quod sit officium, vel potestas iudicis Conservatoris, & quando expirat.*

**D**e manifestis tantum injuriis & violentiis factis, seu inferendis cognoscere potest Conservator, si jus commune attendatur, juxta citatum c. primum & ultimum h. t. in 6. ita tamen, ut ad illius etiam cognitionem pertineat, utrum injuria sit notoria, & de hoc probationes accipere possit, (ne nimis facile eludi possit illius potestas) statim tamen ab ulteriore cognitione destitutus, si injuriam non reperiat esse notoriam, neque revocari possit, tanquam suspectus, si modò aliàs sit idoneus, nec ab eo appellari possit (cum de notoriis tantum cognoscat) arg. c. cum sit 5 §. præterea junct. gloss. V. manifesta de appellat. Plura de horum officio & potestate ex relatis juribus, consuetudinibus, & specialibus privilegiis intelligi possunt ac debent. Expirat autem Conservatorum potestas quoad negotia non cœpta per mortem Papæ concedentis (uti habetur in c. ultimo, §. officium. junct. gloss. V. quorumcunque) quoad negotia vero cœpta non expirat, prout à contrario sensu colligunt